



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Dubium III. Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum
Beneficiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Dices, debito certo non satisfacit per solutionem incertam & dubiam. *R.* Non est hic dubia solutio, sed moraliter certa, quia est commune iudicium omnium prudentum, quod Ecclesia plus non requirat ab eiusmodi hominibus, esset enim intolerabile requirere ab illis omnimodam aut majorem certitudinem, cum ferme ad omnia hæreant & se dubitare credant.

1355

DUBIUM III.

Quid Clerici possint circa dispositionem fructuum suorum Beneficiorum.

Resp. I. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum Ecclesiasticorum, quæ necessaria est ad congruam sustentationem & decentiam status, ita fiunt domini, ut de iis possint liberè disponere. Ubi rectè notat *Nav.* hanc congruitatem & decentiam habere latitudinem, & suos gradus; proindeque, si infimum congruæ sustentationis pretium sint floreni 300. medium 400. summum 500., Clericus autem infimo vivat, de reliquo liberè posse disponere. Ita *communiter*: quia id acquisivit ut stipendium sustentationis, quasi mercedem operis præstiti.

Resp. II. Probabilius etiam est, contra *Nav.* & multos *Canonistas*. Beneficiarios non Regulares (secus enim est de Regularibus, ut *vid. Lug. d. 4. s. 1. n. 2.*) absolutè esse dominos omnium suorum proventuum, ideoque etsi in profanos usus expendant, non teneri ad restitutionem; Est communior inter recentiores, apud *Binsf. Malderum & Bon. to. 1. d. 4 p. 4. ex S. Thom. Soto, Mol. &c.* tum quia fructus faciunt suos, ut supponit *Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.*

Ref. tum quia alioqui non possent fructuum do-
 minium in alios transferre, (extra pios usus) om-
 nesque eorum donationes & contractus essent in-
 validi & ut tales à Judice declarandi, & bona Eccle-
 siæ restituenda: quod cum nunquam sit factum,
 præsumi non debet esse faciendum, *Lugo n. 1.* Quo-
 non obstante, teneri eos bona Ecclesiastica, con-
 grua sustentationi superflua, expendere in pios
 usus, tam est communis sententia, ut *Lugo n. 10.*
Hurt. & Dia. dicentium, eos satisfacere, si (se-
 clusis gravibus necessitatibus) erogent in commu-
 nibus necessitatibus quartam partem reddituum Ec-
 clesiasticorum, vel certè dimidium ejus, quod
 congrua sustentationi superest. v. *Lugol. c. ubi*
plurimis pro se citatis Author: ostendit, Tol. Mo-
lin. & Bon. malè citari pro contraria sententia:
 imò ipsummet *Hurt. & Dia.* in eo non perstitisse,
 atque nullà vel auctoritate, vel ratione fulciri: ac-
 denique suam multis probat, præsertim ex *Trid.*
sess. 21. c. 5. de Ref. ostenditque istam obligatio-
 nem nasci ex jure, non tantum humano, sed etiam
 divino naturali. Vide etiam *Bon. p. 2.* Porrò con-
 grua sustentatio Clerici censetur, quæ necessaria
 est ad statum & familiæ sustentationem secundum
 conditionem status, gradus, dignitatis, qualita-
 tis, & regionis, in qua habitat *Bon. l. c. Mol.*
Lay. l. 4. tr. 2. c. 3. Lug. & c. Vnde resolvuntur hi
Casus:

I. Congrua sustentatio non est æqualis respectu
 omnium, quia plùs requirit Episcopus, quàm
 Decanus; Decanus, quàm Canonicus; Canoni-
 cus in Ecclesia principali, quàm Parochus; debilis
 & tener, quàm robustus & valens: & quod suffi-
 cit in uno loco, non sufficit in alio: Quapropter

“attendi debet ad usum aliorum timoratae consci-
 “entiae, in eodem gradu, &c. Nec obstat, quòd bene-
 “ficiarius emerferit ex humili, quòd minùs possit sta-
 “tui suo convenientes sumptus facere, ut ex *Molin.*
 “docet *Lugo, l. c. vid. Bonac. n. 8.*

“ II. Nomine congruae sustentationis, etiam in-
 “telligitur, debita hospitalitas, non tantùm in paupe-
 “res peregrinos (qui maximè commendantur Cle-
 “ricis à Trid.) sed etiam urbanos. *Lugo, num. 66.*

“ III. Debita, quae Clericus contraxit pro sua
 “sustentatione, vel ob piam causam, potest solve-
 “re ex redditibus Ecclesiasticis; non item, quae con-
 “traxit ante Beneficium obtentum, nisi sit pauper,
 “*Ibid. n. 67.*

“ IV. Potest Clericus ex bonis superfluis licitè in
 “studiis alere suos consanguineos, si aliunde non ha-
 “bent; eò quòd parentes vel nolint vel non possint
 “alere in studiis. *Ibid. & Bon. p. 2. n. 13.*

“ V. Si habet sorores pauperes vel filios spurios,
 “ex fructibus Beneficii dotare licet, si aliunde non
 “potest, quia naturali jure debet illis alimenta, in
 “quorum locum succedit dos, *Mol. Binsf. &c. Ca-*
 “vendum tamen sub mortali, ne vel illas notabili-
 “ter supra statum exaltet, vel hos legitimis æquet:
 “et si nobilis plùs possit dare, quàm aliis infimae for-
 “tis. *v. Lay. n. 4.*

“ VI. Si bona superflua expendat in usus profa-
 “nos, v. g. in venationes, canes, equos, parasitos, lu-
 “diones, luxum in amicos, cognatosque ditandos,
 “&c. (quod intellige de quantitate notabili in ge-
 “nere prodigalitatìs, quae longè major est, quàm in
 “genere furti) graviter peccat quidem, non tamen
 “tenetur ad restitutionem, quia est dominus fru-
 “ctuum; & consequenter neque is, qui accepit. Ita
 “contra *Nay. &c.* communiter Doctores alii ex
Trid.

Trid. sess. 21. c. 2. Azor. to. 2. l. 7. c. 8. q. 2. v. Lay. n. 4. Bon. d. 4. p. 2. n. 9. & p. 4. n. 1. &c.

Quæres. I. Quæ teneantur in pios usus expen-
dere. R. Ea omnia, quæ acceperunt, sive ab Eccle-
sia, sive ab aliis, tanquam procuratores cultus Divi-
ni: non autem illa, quæ vel in cultum Divinum ob-
lata non sunt, vel jam ab Ecclesia in cultum Divi-
num sunt expensa. Lugo, d. 4. Ratio, quia priora
habent annexam obligationem religionis, poste-
riora non; vel si habuerunt, ea jam est extincta,
per expensionem in pios usus. Vnde resolvuntur,

I. In profanos usus expendi possunt à Clericis
bona patrimonialia, eaque, quæ hæreditate, indu-
striâ, donatione, aliove modo, ut laici, acquirunt,
vivendo interim ex Beneficiis. Item quasi patrimo-
nialia, hoc est, quæ acquirunt quidem ut Clerici,
non tamen ut reditus Beneficii, sed ut stipendia ali-
cujus officii Clericalis, v. g. ratione concionis, pro
Missa, funere, officio defunctorum, administratione
Sacramentorum, anniversariis, &c. Sanch. Lug. n. 23. Bon. 2. n. 19.

II. Probabilius est in profanos usus posse ex-
pendi distributiones sive præsentias, (ut vocant)
quæ Beneficiariis ob præsentiam in Choro distri-
buuntur. Ita Sylv. Lugo. n. 24. Bon. nu. 17. contra
Sanch. &c.

III. Fructus, qui dantur ob Capellaniam vel Vi-
cariam non collativam, sed ad nutum amovibilem,
possunt expendi in usus profanos, quia non sunt
fructus Beneficii (hoc enim confertur per collatio-
nem Canonicam) sed bona quasi patrimonialia v.
Lug. n. 28.

IV. Probabiliter etiam Pensionarius licitè suam
pensionem expendit in usus profanos, quia eam
Papa extrahit ex redditibus Beneficii, & dat alteri,
quæ

“qui id Beneficium non habet. *Lug. l. c. contra Bon.*
 “& c. Secus est de eo, qui Beneficium habet in Com-
 “mendam, quia substituitur loco beneficiarii. *Ibid.*
 “V. Partem, quam Clericus parcè vivendo, sibi
 “servat ex congrua sustentatione, licitè expendit in
 “usus profanos, quia expensa est jam antè in usus
 “pios. *Ibid. & Bon. d. 4. p. 2. n. 14. ex Molin.*

“*Quæres II.* Quid intelligatur nomine usus pii.
 “*R.* Qui vel ad cultum divinum, vel misericordi-
 “am spiritualement aut corporalem ordinatur: v. g.
 “ad cultum templorum, necessitatem pauperum,
 “hoc est, eorum, qui non habent necessaria, sive
 “ad naturam, sive ad statum servandum: item in
 “usum Religiosorum, in Capellanas, Missas, suf-
 “fragia pro defunctis, hospitalia, &c. *Vnde resol-*
 “*vuntur sequentes Casus.*

“I. Si Clericus superflua expenderit in usus pro-
 “fanos, v. g. emerit sibi bona immobilia, non po-
 “test hæc retinere, quia obligationi, bonis iis
 “annexæ, non satisfecit, & adhuc potest satisfacere,
 “cum bona empta pretio æquivalent. *Lugo n.*
 “43. *vid. Bon. n. 20.*

“II. Qui in usum profanum à Clerico bona ac-
 “cipit dono ex superfluis, potest excusari à pecca-
 “to, si eum non induxit ad talem donationem,
 “neque per eam Clericus redditur impotens ad su-
 “perflua expendenda in usus pios. v. *Lugo n. 40.*
 “quia Clericus ex patrimonialibus vel quasi patri-
 “monialibus potest substituere.

“III. Clerici quidem ex consuetudine multis lo-
 “cis recepta, licitè possunt testari de redditibus Be-
 “nificiorum, non tamen nisi ad causas pias; etsi
 “enim, ubi consuetudo invaluit, etiam in usus pro-
 “fanos validè testentur, peccant tamen mortaliter.
 “*vid. Less. l. 2. c. 19. n. 41. & seqq. Lay. l. c. Bon.*

p. 3. n. 2. & 5. *Trid. sess. 25. c. 1. de Ref & sequi-*
tur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate
Papæ, quæ licet superveniat testamento jam con-
dito, facit tamen illud convalescere, Sanch. Salas,
Dia. p. 8. t. 3. R. 99. v. suprà l. 3. t. 5. c. 4. "

A D D E N D A.

Q. 227. *Quid hic præterea sit notandum. R.* 1356
 Seqq.

§. I. *Hann.* de Just T. 1. Tr. 4. n. 93. docet be-
 neficiatum, qui habet accidentales qualitates v.g.
 nobilitatis, Doctoris, & ideo indiget majori sum-
 ptu pro sustentatione, si ex patrimonio vel aliunde
 habeat, non posse sibi ex beneficio plus impendere,
 sed oppositum diximus n. 904., ubi circa hoc pos-
 sunt plura videri.

§. II. Clericum teneri ex fructibus beneficii, si 1357
 aliunde non habeat, dotare sororem egenam ex eo-
 dem patre natam, docent etiam *Nav. & Burgh.*
cen. 3. cas. 16., quia mortuo patre officium pater-
 num descendit in filium respectu filiarum, uti cum
 communi docent *Laym. l. 3. T. 4. c. 13. n. 5. & Ca-*
strop. T. 32. d. 9. p. 4. §. 3., ergo sicuti parens tenere-
 tur, sic tenetur frater. Multò magis potest & tene-
 tur ex fructibus beneficii alere matrem pauperem: si
 tamen mater velit secundò nubere, *Rebel. p. 2. l. 5.*
q. 4. n. 41. & alii negant teneri ipsi constituere do-
 tem, quia secundæ nuptiæ sunt invidiosæ primis
 prolibus & veluti quædam injuria.

§. III. Sive sit ex justitia sive tantum ex religio- 1358
 ne obligatio expendendi fructus superfluos in causas
 pias, DD. communiter fatentur longè majorem
 materiam requiri pro gravi violatione præcepti non
 expendendi in usus profanos, quàm furto gravi, uti
 notat

notat *Illf. t. 4. d. 3. n. 150* ; quanta autem re ipsa requiratur, determinandum est spectatis omnibus circumstantiis, ac præsertim proventuum & personæ sustentandæ; *Castrop.* requirit, ut sit tertia vel quarta pars reddituum annuorum, *Côn.* requirit tertiam, quartam vel quintam partem, sed *Haun. n. 91.* meritò vocat hanc regulam laxam, & cum *Lugo* docet vigesimam partem esse materiam gravem, si proventus excedant 100. Florenos.

1359

§. IV. Clericus non potest, per se loquendo, testari de acquisitis ex beneficio, *Cap. Episcopi, 12. q. 1., Cap. Cum in officiis, Cap. Ad hac, de testam.*; Possit tamen de his relinquere moderatum aliquid ad pias causas, *ibid. & Pias. p. 2. c. 5. a. 4. n. 49.* Possit etiam tam multum legare suis, quantum de patrimonialibus attulit Ecclesiæ, *Cap. Si quis qualibet, 12. q. 2., & Cap. Si Episcopus, ibid. q. 5. Piasec. à n. 50.* Potestque etiam retinere rem Ecclesiæ melioratam, licet dimiserit beneficium etiam per privationem, donec compensarit suas expensas, *Cap. fin. de pecul. Cleric. Abb. Pias. n. 50.* Etiam potest testari de patrimonialibus & acquisitis aliunde quam ex beneficio, nempe industriâ suâ vel personali operâ, etiam per actus Ordini suo proprios, *Inn. Abb. Pias. n. 52.* Ut autem testari possit de acquisitis ab Ecclesia, debet in plerisque locis habere Constitutionem sive specialem facultatem ab Episcopo, vel si sit in Capitulo, debet habere à Decano & Capitulo, uti usus est quarundam diocesium: & hæc facultas testandi non expirat morte concedentis, *Ricc. Garc. Henriq. Mol. Sanch. Gutt. Diana p. 8. t. 3. R. 99. contra Socin. & Covarr.* Quod autem testamentum à Clerico factum sine licentia testandi, superveniente licentiâ convalidetur, præter citatos à *Busenb.* docent etiam *Ricc. & Merol. Dixi initio, per se,* nam ubique attendenda est consuetudo.

§. V.

§. V. Quæ Clericus acquisivit ab Ecclesia & re- 1360
linquit post mortem, debent expendi in usus pios,
(nisi iterum contraria sit consuetudo) pro quo fa-
cit illud S. *Aug.* homil. 48. inter 50. c. 2., *hoc tollit*
ffcus, quod non accipit Christus, id est, hoc post
mortem beneficiati tollit Ecclesia & causis piis appli-
cat, quod beneficiatus in vita non erogavit paupe-
ribus, uti erogare debuit. Ut autem donatio Eccle-
siastici ante mortem facta valeat & censeatur esse in-
ter vivos, debet donans supervivere 20. dies, uti no-
tat *Fill.*; putant tamen *Valer. & Diana* apud *Lugo*
in *Resp. Mor.* l. 5. d. 1. hanc superviventiam non esse
necessariam pro foro conscientiae, si donatio verè &
irrevocabiler facta sit. Curam nimiam ditandi ne-
potes carpit vetus distichon apud *Ludolph. Carth.*
de vita Christi p. 1. c. 68. *Cùm factor rerum priva-*
rit semine Clerum, ad Satana votum successit turba
nepotum.

An Princeps sæcularis possit disponere ad libitum
& ad quoscumque usus de fructibus Ecclesiarum va-
cantium, vide *Dianam* p. 7. t. 10. R. I., & dicenda
à n. 1397.

Q. 228. Quid notandum sit circa decimas, pri- 1361
mitias, oblationes. R. Seqq.

§. I. Per Decimas intelligitur decima pars bono-
rum mobilium licitè acquiritorum, Ecclesiae mini-
stris exsolvenda, secundum cap. *Ex transmissa*, 23.
de decimis, *fidelis homo de omnibus, qua licitè po-*
test acquirere, decimas erogare tenetur: Ortum
habent ex antiquo testamento, *Gen. 14.* & 28. *Exod.*
22. *Levit.* 7. *Num.* 28., & congruentia est, 1. Quia
sic recognoscitur Deus tanquam donator omnium
bonorum, idque per numerum perfectum, qui om-
nes in se numeros continet. 2. Quia Ministris Dei
debetur sustentatio. 3. Ut hi liberi sint curis tem-
porali-

poralibus, & aliis pauperibus benefacere possint. De injustè acquisitis non debetur decima, quia totum restituendum est Domino rei. Debentur solo jure Ecclesiastico, attamen inducente obligationem justitiæ & religionis. Jus primogenium ad decimas à laico præscribi non potest, quamvis possit præscribi immunitas ab eis solvendis, secundùm dicta l. 3. p. 2. n. 502. Potest jus decimarum per privilegium Papæ in perpetuum concedi laico ob merita in Ecclesiam vel alias causas: potest etiam à Clerico elocari saltem ad triennium. Ad exigendas decimas datur actio in foro Ecclesiastico, quandoque etiam laicali, non tantùm personalis, ut qui negat, conveniatur apud judicem & cogatur, sed etiam realis, ut ad quemcunque pervenerint fructus indecimati, pars Io. vendicetur; si tamen possessor annis prioribus non solverit, non est jus petendi à successore, quia hoc jus fundabatur in ipsis fructibus, non autem in fundo ipso.

1362

§. II. Primitiæ, erant primi fructus terræ vel pecorum, quæ offerebantur Ecclesiæ Ministris: nunc non ampliùs obligant, nisi secundùm consuetudinem patriæ & indigentiam Ministrorum Ecclesiæ, inquit S. Thom. 2.2. q. 86. a. 4. Similiter ad oblationes in altari sub Missa non obligantur singuli fideles, attamen per Superiores attineri debent patresfamiliâs ad retinendam consuetudinem obeundi altare & aliquid offerendi: Quod autem sic offertur, cedit Parocho, uti & illa, quæ offeruntur in Capellis aut ad sacras imagines intra parochiam, nisi alibi fit alius usus.

Videri possunt hæc & plura alia ex legibus & AA. fusiùs deducta apud *Ulf.* T. 5. à n. 224. Item de decimis videri potest fusè *Leurr.* p. I. q. 464. & seqq. De primitiis q. 499. De oblationibus, q. 460. & seqq.

Q. 229.

Q. 229. Quid notandum sit circa alienationem 1363
 bonorum vel rerum ecclesiasticarum. R. Seqq.

§. I. Pius II. Extrav. *Ambitiosa*, de rebus Ec-
 cles. non alien., prohibet sub gravibus pœnis alie-
 nari immobilia & mobilia pretiosa Ecclesiæ, quæ
 servando servari possunt. Item prohibet omne pa-
 ctum, per quod dominium rerum & honorum Ec-
 clesiasticorum transfertur. Item concessionem, hy-
 pothecam, locationem ultra triennium, infeuda-
 tionem vel contractum Emphyteuticum, præter-
 quam in casibus à jure permissis, ac de rebus ac bo-
 nis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis, &
 tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate &c. Demum
 addit res & bona hujusmodi contra prohibitionem
 alienata liberè reverti eò, quò ante alienationem
 pertinebant, hæc enim est prorsus irrita; & si fiat,
 competit Ecclesiæ actio contra bona & personam
 alienantis. Vide *Gobat* in Exp. tr. 3. n. 265. app. 2. cas. 3.

Similis prohibitio quoad Religiosos emanavit
 jussu *Vrbani VIII.* anno 1624., uti refert *Delbene*
 de Immun. Eccl. c. 17. d. 1. n. 7., ubi etiam additur
 tales alienationes esse ipso jure irritas. Eadem va-
 lent de bonis pii loci, si auctoritate Episcopi sit ere-
 ctus, de quo vide *VVadingum* de contract. d. 2. dub.
 8. f. 4. & *Dicast.* de Just. l. 2. t. 3. n. 329. Præterea de-
 claravit S. Congregatio non posse Religiosos ac-
 cipere mutuò pecunias cum solutione interesse, nec
 fundare censum super bonis suis, *Delb.* d. 1. n. 12.,
 possent tamen emere fundum ad censum illi fundo
 impositum, *Delb.* d. 8. n. 7.

§. II. Censetur etiam prohibita transactio vel 1364
 concordia, etiam pro terminanda lite, circa bona
 antecedenter possessa, si aliqua ex parte forent di-
 mittenda: possent tamen ista fieri, si jus necdum erat
 possessum sed prius acquirendum, *Delb.* d. 12. Idem

est, si quid ad Ecclesiam pertinens impetatur, & esset periculum amittendi, tum enim posse vendi laico, huic relicto periculo, docent *Nald. Gavant. & Delb. d. 23. n. 25.* Præterea remitti potest caducitas emphyteusis, quia est tantum cessio juris acquirendi, si nempe Prælati voluerit. *Delb. d. 12.* Videtur etiam prohiberi permutatio rerum, quia est aliqua species alienationis, *Cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien., Bald. Redoan. VVad. §. 2. Delb. d. 3. & 13. Piafec. p. 2. c. 5. a. 4. n. 12.* Et prohibetur omnis ejusmodi alienatio, quamvis foret in favorem alterius Ecclesiæ, Monasterii vel personæ Ecclesiasticæ, *Cap. I. eod. tit. Delb. n. 12. Piaf. n. 11.*; qui tamen n. 36. putat cum consensu Episcopi permutari posse duas Ecclesias, & consequenter etiam bona duarum Ecclesiarum vel Monasteriorum eidem Superiori subjectarum, *VVad. §. 4. n. 4. Delb. d. 13. & 23.* alique cum *Bonass. de Just. d. 21. n. 44.*, uti & fieri potest unio Ecclesiæ loco Regulari, *Delb. d. 13. n. 7.* Item prohibetur alienatio, quamvis velles inde emere alia bona vel censum, *Barb. Delb. d. 3. n. 11.* Item, quamvis donans expressè addidisset, ut v. g. Monasterium posset propriâ auctoritate alienare, uti probabiliter putat *Lugo in Resp. Mor. l. 3. dub. 10. n. 2. & dub. 12. n. 3. & l. 4. dub. 31.*, quia hoc ipso quod res acquiratur Ecclesiæ, habet conditiones boni Ecclesiæ, inter quas est inalienatio; attamen etiam probabiliter contradicunt *Covarr. Arm. Ricc. Quarant. Bonac. Delb. d. 10.*, quia sicuti poterat donans, ita ex hujus potestate poterit donatarius de re disponere, neque res est absolutè & in perpetuum acquisita Ecclesiæ, sed tantum ad beneplacitum; quod fatetur etiam *Lugo* esse verum, si donator expressè voluisset, ut alienaretur, tum enim certum est nunquam absolutè acquisitam fuisse Ecclesiæ. Et idem videtur esse, si res

si res fuerit empta cum pacto retrovendendi, *Bordon, Redoan. & alii contra Ricc. & Menoch, apud Delb. d. 23. n. 23.* Similiter videtur esse licitum repudiare aliquid etiam immobile necdum acquisitum, cum non sit alienatio, *Abb. Silv. Delb. d. 5.,* qui tamen d. 6. docet cum *Mol. Barb. A. Tamb. T. 3. d. 13. q. 2. n. 8. & aliis Prælatum vel Religiosum non posse repudiare hæreditatem vel legatum, tum quia ex voluntate testatoris jam erat acquisitum Ecclesiæ, etiam ante traditionem, uti habent Jura; tum quia Ecclesia habebat jus & actionem ad illud; sed contradicunt Abb. Menoch. Gom. Sanch Rebel. Ricc. Bon. & alii, quia ante acceptationem non acquiritur Ecclesiæ jus aut actio ulla, sed res-transit ad hæredem ab intestato. Vide *Delb. supra: item Dicast. à n. 339. Pirh l. 3. tit. 13. n. 41.* Dare commodato & ad usum brevi tempore non est prohibitum, *Delb. d. 19.;* uti nec prohibitum est bona Ecclesiæ obligare in hypotheca generali, sed tantum in speciali, *Abb. Covar Redoa. Mol. Delb. d. 1. n. 30. contra Vasq. Rodrig. Quara. & alios.* Circa alienationem juris patronatus, sepulturæ &c., vide *Delb. d. 14.* Circa constitutionem novi feudi vel emphyteusis, habet d. 15. & 16., circa alienationem materialis Ecclesiæ vel Oratorii, habet d. 17. Cur autem Ecclesia noluerit bona Ecclesiastica esse alienabilia, insinuabitur n. 1386.*

§. III. Nomine bonorum Ecclesiæ hic veniunt etiam jura & actiones ad immobilia, nomina debitorum, servitutes, *VVad. §. 1. Pias, n. 8. Delb. d. 12.* Ad res mobiles pretiosas, quæ servari possunt, pertinent vasa aurea, argentea, gemmæ, bibliotheca copiosa, *A. Tamb. q. 2. Delb. d. 2. s. 1.* Greges & armenta totaliter considerata, *Delb. l. 4.* Incisio arborum & sylvarum, si fiat cum deterioratione, *Pias. n. 9.* Vide *VVad. §. 2. & Delb. s. 5.* Etiam magna pecu-

nix summa donata & destinata ad emenda immo-
 bilia censetur quid immobile, *Vasq. Fill. Lex. Delb.*
 f. 1. à n. 2. aliique apud *Lugo* l. 3. d. 10. contra *Tiraq.*
VVad. §. 1., sed de hoc vide *Delb.* f. 3. Etiam ad im-
 mobilia spectant annui redditus perpetui, *VVad.*
 Quoad servos originarios, vide *VVad.* n. 12. & *Delb.*
 f. 1. Quoad pretiosas reliquias, v.g. spinam coronæ
 Christi, putat *Delb.* d. 1. n. 52. hinc non prohiberi ea-
 rum alienationem, quia sermo videtur esse tantum
 de rebus pretio æstimabilibus: sed contradicit *Ca-*
strop. tr. 12. p. 15. §. 1. n. 8. cum *Ricc.*, quia sunt su-
 pra omne pretium, ergo censeri debent mobilia
 plus quam pretiosa.

1366

§. IV. Alienatio rei Ecclesiasticæ licita est cum
 causa, & servatis solennitatibus, etiamsi donans ad-
 didisset non alienandam, quia intelligitur, sine causa
 & modo indebito, uti cum aliis probabiliter tenet
Delb. d. 11. Causa autem est, sola evidens Ecclesiæ
 necessitas vel utilitas; quandoque etiam respectu
 Papæ magna convenientia, ob quam præsumitur
 illum, qui dedit Ecclesiæ, non posse esse rationabi-
 liter invitum, *Delb.* d. 28. Solennitates sunt quinque,
 1. Communis consultatio, an ita postulet necessitas
 vel utilitas. 2. Consensus Capituli vel Cleri. 3. Con-
 sensus Episcopi vel Superioris Regularis. Putat *Pias.*
 à n. 14. etiam requiri consensum Patroni, si alienen-
 tur bona Ecclesiæ vel beneficii patronati, sed contra-
 dicunt alii cum *Laym.*, potestque videri etiam *Pirb.*
 à n. 61. 4. Subscriptio consentientium, pro casibus
 à jure expressis. 5. Consensus Papæ sive facultas S.
 Congregationis: Et de his omnibus videri potest
Delb. d. 9. Quod si alienatio facta sit sine causa, est
 invalida, *Delb.* d. 20. Quod tenet, si Papa ipse rem
 Ecclesiasticam sine justa causa transferat ad laicum,
 quia non est Dominus, & injusta dispensatio est
 irrita,

irrita, Nav. & alii cum *Delb.* d. 27. Si autem fiat cum causa, sed omissis solennitatibus, *Alb. Silv. Butr. Ang. Nav. Rodrig. Regin. Fill.* & alii probabiliter dicunt valere pro foro conscientiae, sed etiã probabiliter contradicunt *Covarr. Mol. Vasq. Ricc. Menoch. Suar. Bonac.* & alii cum *Dicast.* tr. 15. n. 215. & *Delb.* d. 21., quia Jura absolute irritant ob damnificationis periculum, quod semper adest, si solennitates omittantur. Nec valet alienatio facta sub ratihabitione, seu salvo consensu Sedis Apostolicæ, quia hic consensus prærequiritur ad formam: possunt tamen partes antecedenter tractare de alienatione faciendâ, si S. Sedes consentiat, *Delb.* d. 1. à n. 44. Putantque *Quarant. Redoan. Fachin.* in *Controv. Jur.* l. 13. c. 44. hunc consensum non præsumi, nequidem in præscriptione 30. vel 40. annorum, sed probabilius contradicunt *Mascard. Felin. Ricc. Delb.* d. 4. s. 1. *Dicast.* n. 211., quia factum præsumitur, si de jure faciendum erat. Quod si à Sacra Congreg. habeas facultatem alienandi fundum A., & alienes fundum B., alienatio est invalida, quia concessio facultatis non extenditur ad casum sub verbis concessionis non comprehensum, quamvis ad illum æquè facile data fuisset facultas, si fuisset petita. Quod Societatem *JESU* attinet, novum *Comp. Privil. v. Alienatio §. 2.* dicit sufficere facultatem Generalis aut Societatis Congregatæ, per *Privilegium Greg. XIII.*, sed de hoc vide *A. Tamb.* suprâ q. 6. An verò eadem Societas *JESU* volens dimisso reddere bona sua, quæ donata, indigeat speciali facultate, dictum est n. 56.

§. V. Sine speciali causa & solennitate alienari possunt, I Quæ verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non perdurant, uti sunt vestes, fructus arborum, jumenta in individuo, singularia pecora &c. *Pias.* à n. 19. 2. Res quæcumque exigui valoris respectivè ad possidentem, *Cap. Terru-*

las, 12. q. 2. *VVad.* §. 3. *Barb.* de pot. Ep. alleg. 95. n. 51. *Ricc.* in prax. Ep. decis. 39. n. 8. Docent autem *Castrop.* §. 1. n. 2. & *Zerol.* in pr. Ep. p. 1. v. *Alienatio*, ad 6., rem exigui valoris esse, si non attingat centum aureos sive ducatos, sed alii communiter cum *Delb.* d. 2. s. 1. à n. 12. restringunt ad 25. scuta aurea, quæ faciunt 40. scuta monetæ Romanæ. Pro Societate *JESU*, rescriptit ejusdem Procurator generalis 3. Jan. 1693. exiguum valorem in alienationibus regulandum esse juxta consuetudinem locorum, ubi sita sunt bona: quod si nulla sit consuetudo, aut illa certa non sit, peti posse à Generali facultatem ad eam summam, quæ scuta 40. monetæ Romanæ non excedat. Et rectè addit *Delb.* talem rem modicam debere esse disjunctam ab aliis, alioquin posset v. g. totum prædium successivè per partes modicas alienari. 3. Res Academiæ, Seminarii, hospitalis, Confraternitatis, si auctoritate Episcopi erecta non sint, uti limitant *Castrop.* p. 14. n. 11. & *Delb.* d. 1. à n. 14., quia in rigore non sunt res Ecclesiæ, Monasterii vel loci pii, prout hinc sumitur locus pius, *Pias.* n. 34. *VVad.* §. 4. à n. 3. 4. Res, quarum conservationi non sufficeret census ex eis *Castrop.* p. 15. §. 2. n. 5. *Bona sp.* n. 47. Quod si conservatio esset tantum non utilis sive sterilis, *Quara. Bon.* & *Delb.* d. 3. n. 10. dicunt requiri licentiam Papæ, *VVad.* §. 3. dicit sufficere consensum Episcopi cum Capitulo. 5. Cum Principe fieri potest permutatio rei ad bonum commune utilis cum alia re æquali, *VVad.* 6. Si necesse sit pro debitis, ad quæ solvenda creditor urget per Judicem, *Abb. Quara. Bona sp.* n. 50. 7. In casu magnæ necessitatis non permittentis peti consensum Superioris, *Quara. Delb.* d. 1. n. 26. Item si expectato consensu Papæ transfret occasio notoriæ utilitatis Ecclesiæ, *Bald. Boss. Bona sp.* supra,

suprà, *Delb. d. 22. n. 2.* Et tum requirunt consensum Episcopi *Abb. Felin. & alii cum Carden. in 1. crisi d. 80. n. 46.* : notat tamen *Delb. Regulares*, qui Episcopo subjecti non sunt, non teneri ad hunc recurrere. 8. Etiam alienari possunt, quæ donantur vel legantur illis, qui retinere non possunt, v. g. *Capuccinis, Quara. Ric. decis. 56. n. 1. Barb. n. 59. Delb. d. 7.*, qui rectè id negat de mobilibus pretiosis, quæ ipsis licitum est retinere. 9. Si tantum fiat transmutatio unius rei in aliam absque translatione domini in alterum, uti si ex antiquo calice fiat *Cruce*, ex arboribus cæsis ædificetur domus, quia tum non est alienatio, *Abb. Nav. Ricc. Delb. d. 23. n. 11.* 10. Si fiat remuneratio beneficiorum Ecclesiæ collatorum, *Barb. Delb. n. 16.* 11. Si aliquid sit simul & indivisum in manu sæcularis, qui velit vendere, *Bord. Delb. d. 22.*

§. VI. Quoad locationem longi temporis, si res omni anno fructificet, prohibetur locatio ultra triennium; si fructificet alternis annis, prohibetur ultra sexennium; si ternis, ultra novennium, *Covarr. Az. Vasq. Less Barb. Ricc. Delb. c. 18. d. 4.* Non prohibetur autem locatio diuturnior fructuum pertinentium ad ipsum beneficiatum, quia finitur morte naturali vel civili elocantis, sed tantum fundi, quæ teneatur stare etiam successor, *Abb. Covarr. Silv. Mol. Castrop. p. 14. n. 12. Delb. c. 17. d. 24. & c. 18. d. 10.* Quod si quis fundum licet 12. annis, cum clausula, quod velit esse quatuor locationes, singulas pro singulis trienniis, licet *Bald. & alii* hoc defendant, tamen probabilius contradicunt *Covarr. Az. Mol. Rebel. Vasq. Ricc. Less. Castrop. n. 3. Delb. c. 18. d. 2.*, quia est reipsa locatio ad 12. annos, & clausula illa apponitur in fraudem legis: Et nequidem pro triennio valebit ille contractus, nisi æqui-

si æquivalenter fit duplex, nempe quòd velint esse ad annos 12., si autem hoc non teneret, saltem ad tres, *Bartol. Ias. Abb. Covar. Castrop. n. 7. Delb. d. 5. contra Tusch. Rebell. & alios. Putant tamen Mol. Rebuff. Ricc. Gutt. Lugo* suprà d. 12. n. 4. *Fitt. tr. 44. c. 2. n. 19.*, & probabile dicit *Delb. d. 2. à n. 7.*, posse clericum se eidem obligare ad renovandam cum ipso locationem secuturis trienniis, quia personalis hæc obligatio non afficit fundum, & cessat morte naturali vel civili promittentis; nihilominus *VVading.* adhuc putat hoc esse illicitum & in fraudem legis. Potest etiam locatio ad triennium facta renovari cum eodem post elapsum secundum annum, quia prius triennium censetur elapsum: si autem fiat prius, præsumetur fraus & locatio ad quinquennium, *Mol. Valasc. Castrop. n. 4. Delb. d. 3.* Talis locatio prohibetur etiam quoad bona pieorum locorum, si hæc auctoritate Episcopi sint erecta, aliàs non, *Castrop. n. 11. Delb. d. 9. Vide Dicast. tr. 15. dub. 6.*

1369 §. VII. Alienans bona Monasterii absque solennitate, privatur omni officio; item voce activâ & passivâ, fitque perpetuò inhabilis ad hæc recipienda, & est excommunicatus, *Pelliz. T. 2. tr. 9. c. 7. n. 29.* Attamen quoad omnia hæc dicta debet attendi locorum consuetudo, nam communis AA. sententia est cum *Delb. c. 17. d. 22.*, etiam Extravagantem *Pii II.*, quoad pœnas, in paucis locis esse receptam; & quoad obligationem ipsam attendenda est etiam cuiusque diœcesis consuetudo: *Gob. suprà app. 1. litt. y.*, dicit licitum esse in Germania alienare calices &c. Quoad eandem Germaniam docet *VVagnereck* in Exeg. illius Extrav., eam non esse absolutè receptam in multis locis, præsertim apud Principes Ecclesiasticos. *Engel. 1. 3. t. 13. n. 15.* dicit non exem-

ptos

pros pro alienationibus recurrere ad solos Episcopos (quod etiam in Belgio fieri testatur *Zypaus* in anal. juris Pontif. ad hanc Extrav. n. 2.) Episcopos autem dicit n. 24. alienare prædia minoris æstimationis sine recurſu Romam. *Si dicas*, eos jurare se non alienaturos possessiones inconsultâ S. Sede; *Respondet VVagner.* subintelligi conditionem, si & quatenus Extravagans illa est usu recepta: & de hoc juramento vide *Delb. c. 17. d. 4.*

Quam pœnam incurrant, tum delegatus Papæ, tum alii, qui in detrimentum Ecclesiæ permittunt, procurant vel suadent alienationem talem, habet *Delb. dub. 31. & seqq.*

DUBIUM IV.

1370

Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur.

R. I. Clericos majoribus Ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita seu dissecta.

R. II. Quoad artes, prohibetur macellariorum, tabernariorum, joculariorum, quorum etiam ludis, uti & hastiludiis prohibentur interesse. Item Medicorum aut Chirurgorum, ubi opus incisione aut adustione, nisi, ut habet *Nay.*, erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate.

R. III. Quoad officia, prohibetur (si sint beneficiati, vel initiati Sacris) officium Judicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum seu Notariorum in placitis sæcularibus; Quod

X x 5

addo,